

De subjecto Theologie Prophetica.

P R A E C E P T A .

SVbjectum Theologie Prophetica est triplex; videlicet informationis, tractationis, & operationis.

Subjectum informationis est antistes Ecclesia: in quo requiruntur bona partim naturalia, videlicet bonitas ingenij, memoria & vociis, item sana & recta corporis constitutio: partim acquisita, puta doctrina, integritas vitae, eloquentia, fortitudo spiritualis & authoritas temperata humanitate.

Subjectum tractationis est modus edificandi Ecclesiam.

Subjectum operationis totale est Ecclesiae cœtus integer, partiale est quilibet auditor.

R E G U L A E .

I. Dona, quæ requiruntur in antistite Ecclesiae, sunt alia naturalia, alia acquisita.

Dona naturalia rursum sunt animi, vel corporis. In animo requiritur bonitas ingenij & fidelitas memorie. In corpore requiritur vociis concinnitas, & sana rectaque corporis constitutio, quæ non parum authoritatis conciliat Ecclesiastæ. Dona acquisita sunt quinque potissimum: videlicet doctrina, eaque partim Theologica, partim Philosophica; integritas vite, morumque sanctitas; eloquentia, fortitudo spiritualis, & authoritas. De quibus sicut habet plenius. Principio ut in omnibus studijs ars presupponit aliquid naturæ: ita etiam in hoc augustissimo & difficillimo munere aliquid naturæ præexistit. Nam si v.g. destitutus voce bona, vel omni memoria, fieri non potest ut populum Dei recte pascas. Oportet itaque ut futurus Ecclesiastes habeat dona naturæ, si non exceptenter, sitem mediocriter. Deinde dona acquisita pro tribus animæ facultatibus, nempe intellectua, concupisibili & irascibili sicut habent. In facultate intellectua, quam Græci vocant τὸ λόγον, requiruntur hæc tria; sapientia, prudentia & eloquentia. Primo sapientia requiritur eaque duplex: una diuina & cœlestis altera humana & terrena. Sapientia diuina & cœlestis est recta & solida intelligentia & scientia rerum diuinorum in sacris literis patefactarum: quæ comparatur ardenti precatione, frequenti scripturæ lectione & meditatione, diligenti denique præceptorum Theologicorum cognitione & exercitatione. Sapientia humana & terrena est positâ in linguatum, præserim cardinalium, & totius propemodum philosophiæ frugali cognitione. Deinde requiritur prudentia Theologica seu spiritualis, id est, no-

Quare requiri-
rantur in an-
tistite Eccle-
siae

A 3 titia ve-